

quasdam observationum mearum, videndas dārem. Hic dominus Ham me secundo invisens, secum in laguncula, vitrea semen viri, gonorrhæa laborantis, sponte destillatum, attulit, dicens, se post paucissimas temporis minutias (cum materia illa jam in tantum esset resoluta ut fistulæ vitræ immitti posset) animalcula viva in eo observasse, quæ caudam & ultra 24 horas non viventia judicabat ; idem referebat se animalcula observasse mortua post sumptam ab ægroto therebintinam. Materiam prædicatam fistulæ vitræ immissam, præsente Domino Ham, observavi, quasdamque in ea creaturas viventes, at post decursum 2 aut 3 horarum eamdem solus materiam observans, mortuas vidi.

“ Eamdem materiam (semen virile) non ægroti alicujus, non diuturna conservatione corruptam, vel post aliquot momenta fluidiorem factam, sed sani viri statim post ejec-  
tionem, ne interlabentibus quidem sex arteriæ pulsibus, sæpiuscule observavi, tantamque in ea viventium animalculorum multitudinem vidi, ut interdum plura quam 1000 in magnitudine arenæ sese moverent ; non in toto semine, sed in materia fluida crassiori adhærente, ingentem illam animalculorum multitudinem observavi